



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Ad Iacobvm Wallivm ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

A D

IACOBVM VVALLIVM

de morte SIDRONII HOSSCHII.

E Tsi me, VValli, patrijs excedere terris,
 Et procùl Angariae collibus ire mea,
 Et maris insuetas ansum dare vela per undas,
 Ardentesq; graui sole secare vias,
 Lydius Hesperidum Tibris regnator aquarum
 Et septem geminis Vrbs tenet alta iugis,
 Alpinaeq; niues, ac nubifer Apenninus,
 Et pia Tyrrhena vota morantur aquae,
 Vt nequeam Tungros, & pulchrum visere Mosam,
 Et praesens maesto soluere iusta rogo,
 Et terrae tumulo componere vatis amici
 Reliquias nostris irriguas lacrymis:
 Non tamen extinctum miseris urgere querelis,
 Iustaq; quae fas est, reddere cessat amor.
 Nunc firmata subit studiis concordia nostris,
 Et desiderijs inuida fata meis.
 Nunc mandata lego, quae te mihi scribere iussit,
 Et moriens linguam deficiente dabat.
 Quin etiam violis, & lauri frondibus urnam
 Halantem fictis ponimus exuujs.

His

AD

His etiam flores, vitæ monumenta fugacis,
 Addimus, albenti lilia mista rosâ.
 At circum Latij, doctissima turba, Poëta
 Aoniâ feriunt carmina mæsta lyrâ.
 Quos præit ereptum lugens Elegèia vatem,
 Sæcula cui nullum nostra tulere parem,
 Postera vix sperent; quo vindice desijt esse,
 Quod fuerat, Paphiæ lena comesq; Deæ.
 Illa igitur squallet, quo nos, confecta dolore,
 Et queritur nostris saucia vulneribus.
 Ipse etiam fletu tumultum dignatur inanem
 CHISIVS Ausonia gloria prima togæ.
 Et gemitu manes ciet, & Permesside lymphâ
 Spargit flebilibus marmora scripta notis.
 HOC MERVIT IVSTI MONVMENTVM BELGÆ
 DOLORIS,
 PROXIMVS INGENIO, CVLTE TIBVLLE, TVO.
 Interea curis liber mortalibus errat
 HOSSCHIVS, Elysium quâ facit umbra nemus;
 Quâ Zephyri blandis assibilat aura susurris,
 Et viret intonsis laurea silua comis;
 Quâ saliunt vitrei per amœna rosaria fontes,
 Et præbet faciles florida ripa toros.
 Illic diuinos inter considerare vates
 Gestit, & Heroum proximus ire choris,

*Et modò cantatos suspirat Numinis ignes ,
 Virginis & grato carmine laudat opem.
 Et modò tot vitæ , quibus ut mare voluimur , æstus
 Gaudet inoffensâ se superasse viâ.
 Et modo commendat faciles miserescere Diuos ,
 Dum Petri lacrymis miscuit ipse suas.
 Denique quæ vouit Leopoldo plurima , votis
 Exorat meliùs prosequiturq; suis.
 Illinc , si nostri tangit te cura , nec omnis
 Excidit oblito pectore suetus amor ,
 Aspice perpetuis lacrymarum turgida riuus
 Lumina , & exequias , doctæ Poëta , tuas.
 Aspice ut immensum tua gloria lata per orbem
 Transuolet Eoas , Hesperiasque domos :
 Ut malè neglectas , monumenta perennia , Musas
 Vallius indignis vindicet à tenebris ;
 Vallius Aonidum post te non parua sororum
 Cura , tibi quondam , nunc mihi primus amor.
 Quàm pius ille manu fugientes clausit ocellos ,
 Et summis animam legit anhelitibus !
 Quàm pius æternis mandat tua nomina chartis ,
 Et damnat lacrymis impia fata suis !
 Scilicet ereptum sic tristis Naso Tibullum
 Luxit , & Orphæam Calliopeia necem.*

K

ALE-